

(18) *Et sapientie* ^{a)} *eius, inquit, non est numerus. Hic, Nicolae, stilum dictaminis fige tui, et tam clari principis claram sapientiam claris et politis sermonibus iam describe* ^{b)}. Regina austri venit a finibus terre audire sapientiam Salomonis ¹⁰³⁾. Et ecce plus quam Salomon hic dominus Fridericus magnificus imperator. Et sicut legitur in libro sapientie de Salomone: *puer eram ingeniosus et bonam animam* ^{c)} *sum sortitus* ¹⁰⁴⁾, ingeniosus fuit per bona naturalia ¹⁰⁵⁾ et sortitus bonam animam ^{c)} per gratuita bona, profecto omnes dotes et omnia bona confluxerunt in ipsum. Habet enim bona nature, bona fortune, bona gratie in presenti, et habebit bona eterna glorie in futuro, gratiam et gloriam dabit dominus.

(19) Hunc benedixit excelsus dominus benedictione quondam Iacob, inquit enim pater ad eum: *Det tibi Deus de rore celi et de pinguedine terre habundanciam frumenti, vini et olei* ¹⁰⁶⁾. Ros celi sapientia est desuper data sibi ¹⁰⁷⁾, pinguedo terre est imperium Romanorum, quod pinguius et sublimius est omni regno terreno; per *frumentum* intelligitur gracia maiorum donorum, per *vinum* iusticia et per *oleum* eius misericordia copiosa; ipse quidem est misericors et miserator dominus ¹⁰⁸⁾, pociens et multum misericors ¹⁰⁹⁾ in consuetudine miserendi, profecto ipse est rex Israel, et reges Israel consueverunt esse misericordes, sicut habetur in libro regum ¹¹⁰⁾.

(20) Sapientia huius domini *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit suaviter* universa ¹¹¹⁾; *clara est que numquam marcescit sapientia* eius ¹¹²⁾. Ipse quidem habet sapientiam, que dicitur a sapio, sapis ¹¹³⁾, quia omnia sapit et intelligit super omnes, quia super seniores ab infanzia intellexit ¹¹⁴⁾. Et sapientiam, que dicitur a sapore ¹¹⁵⁾, nam sapiens secundum magistrum, cui sapiunt res secundum saporem proprium, sic et ipse discernit bonum a malo et amarum a dulci et a bonis quaecumque sunt meliora. Et cum secundum definitionem theologicam quidam habent sapientiam in corde, quidam in ore, iste dominus in

a) sapientia Hs. b) describere Hs. c) amiciciam Hs.

¹⁰³⁾ 3. Reg. 10. ¹⁰⁴⁾ Sap. 8, 19. ¹⁰⁵⁾ Vgl. HB. 107, 27—28. ¹⁰⁶⁾ Gen. 27, 28; et olei lesen (nach Sabatier, a. a. O.) nur Cyprian, Testim. I, 21 (PL. 4, 718), vgl. oben Anm. 45, und Ps.-Prosper, De promiss. et praed. Dei I, 21 (PL. 51, 749). ¹⁰⁷⁾ Vgl. HB. 107, 10; Isai. 45, 8. ¹⁰⁸⁾ Ps. 110, 4. ¹⁰⁹⁾ Ps. 144, 8. ¹¹⁰⁾ Vgl. 2. Reg. 9, 1—13 u. öfter. ¹¹¹⁾ Sap. 8, 1; vgl. HB. 107, 17. ¹¹²⁾ Sap. 6, 13. ¹¹³⁾ Vgl. etwa Papias, Vocabularium (Venedig, Theodorus de Regazonibus, 17. März 1491) unter „sapio“. ¹¹⁴⁾ Ps. 118, 100. ¹¹⁵⁾ Vgl. Isidor, Etym. (ed. Lindsay, Oxford 1911) 10, 240.